


Gottfried Weiss

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis M. Gothofredus Weiß/ P.P. Facult. suae h.t. Decanus ... Ad Exequias Quas Coniugi suae desideratissimae ... Margarethae Elisabethae Berkowen/ Viduus Moestissimus ... Dn. Johannes Nicolaus Quistorpius, S. S. Theolog. Doct. ... Omnes Reipublicae Literariae Cives ... invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus D. X. Ian. Anno M DC XCIII.]

Rostochii: Wepplingius, [1693]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776781561>

Druck Freier  Zugang



12.
Weiß, G.,
in M. E. Berkow,
uxor. J. N. Qvistorp.

Rost. 1693.

PROGRAMMA

QVO

RECTOR UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

M. GOTHOFREDUS *Beiß*/

P. P. Facult. suæ h. t. DECANUS & ad

D. Nicolai Ecclesiastes,

AD EXEQVIAS,

QVAS

CONJUGI SUÆ DESIDERATISSIMÆ,

NOBILISSIMÆ PIENTISSIMÆq, FEMINÆ

MARGARETHÆ

ELISABETHÆ *Berkowen*/

VIDUUS MOESTISSIMUS,

VIR PER QUAM REVERENDUS AMPLISSIMUSQUE,

DN. JOHANNES NI-
COLAUS QVISTORPIUS.

Theolog. Doct. famigeratissimus

& ad D. Nicolai Pastor meruissimus,

hodiè paratas cupit,

omnes Republicæ Literariæ Cives, officiosè

& peramanter invitat.



Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



Qui anni ineuntis tempore, quò
nunc vivimus, novissimorum, &
mortis præcipuè haut omitten-
dam esse memoriã, quin potius,
oculis animisque mortalium, tum
vel maximè obvertari eandem de-
bere, nemo qui rem rectã secum
reputaverit viã, facillè diffitebitur.
Janum, à quo primum anni men-
sem Januarium vocavit Numa
Pompilius, Gentiles bifrontem non sine consilio effigiarunt,
præterita scilicet & futura videntem: hoc ipso enim, ho-
mines, ut idem agerent, tacitã commonefactione & reli-
gionis velut incitamento quodam adducere tentarunt.
Jure meritoq; & nos, summãq; attentione, sub novi anni
auspiciũ respicimus præterita, ita potissimum, ut ex be-
nè factis lætitiã, ex malè verò actis dolorem concipi-
entes, de justo vindice DEO, peccatis læso, sufficientissi-
mo Filii sui, piacularis illius pro peccatis nostris hostiã
merito, reconciliando cogitemus. Judæi à principio an-
ni Deum pro tribunali sedere fingunt, cujus quãdam
Buxtorffius in Synag. Jud. c. 23. fabulam affert, de Ange-
lis à DEO in terram, ut novi anni initium percontarentur
missis, quo eundem diem suo iudicio destinandam explo-
rarent. Relinquimus fabulas, vanissimãq; figmenta talia, suis
auctoribus & fautoribus, DEO tamen, summo justissimoq;
iudici, anteaactæ, toto elapsi anni tractu vitæ rationem red-
dendam, diluendãq; salutaris pœnitentiæ intercessione cri-
mina esse, rectissimè novimus, neque id quisquam, quem
Christianæ pietatis sensus aliquis tangit, iverit inficias. At-
tamen nec immerito futurorum cura nos tenet sollicitos.
Vitæ sanctitate, indies novum DEI affectum ante omnia pro-
vocare è re nostrã fuerit; cumqve ita constituta humanæ
fortis ratio sit, ut nonnulla, inevitabili necessitate eidem in-
cum-

cumbentia declinari omnino nēqveant, parato præsentiq;
animo ea excipienda & patienter ferenda esse, juxta sapientū
vocem, cum mutari haut possint, meritō decernimus. In-
primis tamen, vitæ hujus & infinitarum miseriarum finem,
simulqve illius melioris nunquam cessaturæ initium, hoc
tempore nobiscum reputamus. Certissimè instat, novissi-
ma quæ singulis subeunda est necessitas: eā enim lege nati
sumus, ut ad nutum summi vitæ necisque arbitri denasca-
mur. Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur.
Omnes eadem conditio devinxit, cui nasci contigit, velut
datā syngraphā aut pignore mori restat. *Omnes una ma-
net nox, & calcanda semel via leti.* Finem ab origine pen-
dere, signanter dixit Manilius his verbis:

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

Quod explicatius reddit Seneca: *Quotidie morimur, inquit,
quotidie enim demitur aliqua pars vite, & tunc quoque cum cre-
scimus, vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam,
deinde adolescentiam: usq; ad besternum, quicquid transit tem-
poris perit. Hunc ipsum quem agimus diem, cum morte divi-
dimus. Quemadmodum clepsydram, non extremum stillicidium
exhaurit, sed quicquid ante defluxit: sic ultima hora, quæ esse
desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc
ad illam pervenimus, sed diu venimus. Et hic terminus ulti-
mus insuperabilis, quovis in loco, omni die, nullā non ho-
rā, nullo non horæ momento temporisque puncto ex-
pectandus. Sic enim divinæ sapientiæ placuit, ultimam vi-
tæ nos laterē horam, ut semper ad exeundum parati inve-
niamur, nec incautis, & nihil minus cogitantibus subito ob-
repat. Quod ergo omni die & horā totius anni expectan-
dum, quidni de eo sub ipsum anni initium sedulo cogitan-
dum foret? Minus anno succedente nocent, quæ sub auspici-
um prævidentur tela. *Platonis sententia est, inquit Hiero-
nymus, in Epistolā ad Heliod. omnem sapientium vitam me-
ditationem esse mortis; debemus & nos igitur præmeditari, quod**

aliquando futuri sumus, & quod, velimus, nolimus, abesse longius non potest. Ita omnino, idq; potissimum me iudice, eo temporis articulo, qui notabiliorem vitæ nostræ partem, annum scilicet inchoat, quo etiam reliqua quæ evenire per decursum ejus nobis possunt, providâ mente prospicimus, & adversus ea debito modo præparamur. Freqventia satis hâc etiam tempestate cernuntur oculis nostris, deducunturq; funera, fragilitatis humanæ certissima documenta, mortalitatisq; nostræ nunc quoque considerandæ incitamenta. Non quidem ignoro, quàm parum eô ipsô plurimorum percellantur animi, uti omni alio, ita hoc etiam tempore. Deploranda nostra mortalium socordia est! Exequias solenniores toties videmus, ipsiq; imus; nœnias threnosq; audimus, epicedia mortuis consecrata volvimus ac revolvimus, adeoq; ad finem devenisse vitam defunctorum ultro profiteamur; nostram verò propediem finiendam esse, & unoquoq; temporis momento imminere ejus exitum, non nisi frigidè asserimus credimusque. Ità glaucomatibus, nostros fascinamus oculos, & blandimenta nobismet ipsis suggerimus, sed prorsus frustranea. Removenda est imaginationis ejusmodi deceptricis calliditas, omnibus Christianæ prudentiæ intentis nervis. Felices eas pronuntio animas, quæ aliorum ita aspiciunt funera, ut sui non obliviscantur. Felices nos quoque, qui præter varios fortunæ insultus, mortem ipsam intra hujus anni spatium inhiare nobis scimus, si cœlesti prudentiæ, quæ sola felicissimum adversus vim ejus præstat remedium, sedulo operam dederimus, ut adeo quocunq; tempore parati, novissimo hosti occurrere queamus. Tantò utiq; tenacior hæc cura esse debet, quòtò efficacior ad eam exhortatio, sub anni novi exordium ab ipso DEO inculcatur, dum inter alia funus Feminæ Nobilissimæ, virtutumque sexui suo convenientium ornamentis planè egregiæ, *MARGARETHÆ ELISABETHÆ Berlowen*, Viri perquam Reverendi, *DN. JOHANNIS NICOLAI QUI.*

QVISTORII, S. S. Th. Doctoris celeberrimi, & ad D. Nicolai
heic loci Pastoris longè meritissimi, DN. Collegæ & Adfinis
mei conjunctissimi, Conjugis, uti hætenus multò svavissi-
mæ, ita nunc eheu! desideratissimæ, effertur: quæ circa anni
proximè elapsi, terminum, vitæ suæ finem attingit, quem sub
ejusdem ineuntis initium, totumq; decursum pientissimè
meditata est. Ortum illa suum traxit à Parentibus & Ma-
joribus honestissimis, laudatissimis, edita in hanc lucem, An-
no millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, die 27. O-
ctobris, horâ 10. vespertinâ, Patre, Viro Amplissimo atq;
Spectatissimo DN. DANIELE Berkow / quondam Judicii
Provincialis Mecklenburgensis, dein Civitatis Rostochien-
sis Protonotario fidelissimo, optimèq; merito, Viro, tam præ-
claris eximijsq; animi dotibus instructo, ut vulgare in ipso
nihil, nil protritum cerneretur, quo eum elogio ornat, in Pro-
grammate funeb. *B. D. HENRICUS Müller* / æternæ memo-
riæ Theologus; Matre verò Matronâ lectissimâ, *CATHA-
RINA Hagemeister* / adhuc per Dei gratiam superstite, hoc-
que funus Filix suæ unicæ, uniceq; dilectæ, certissimi maxi-
miq; post Deum, ingravescentis ætatis suæ solatii, copio-
sissimis lachrymis acerbissimè deslente, cujus mœrore op-
pressum planè pectus reficiat, qui patientiæ & solatii Deus
audit. Avum paternum habuit, Virum planè eximium,
JOHANNEM Berkow / Serenissimi Principis Sverinensis,
per complures annos ministrum fidelissimum. Aviam
paternam, honestissimam feminam *ELISABETHAM Weis-
ners*. Avus maternus exstitit, Vir Prudentissimus, Am-
plissimus, Spectatissimusq; DN. *GEORGIUS Hagemeister* / Se-
nator quondam hujus Republicæ meritissimus; Avia ma-
terna, honestissima Femina *MARGARETHA Beselins*.
Diviniori initiationis sacramento renata, mox paren-
tum curâ, elegantissimis virtutibus juxta pietatem, reliqua-
rum omnium Reginam adsvevit. Ira quippe statuebant,
longè venustissimum omnis pulchritudinis decus esse,
)3 si ani

si animus virtute formosus sit: unde nihil omittebant, quod-
cunque eidem colendo profuturum videbatur. Si nam-
que indefessam nonnullorum curam videas in eo occupa-
tam, ut corpori venustatis quandam concilient speciem;
quanto dignior ea erit opera, quæ diviniore parti venu-
standæ impenditur. Fit hoc ipsum assiduo virtutum stu-
dio, earumque rerum tractandarum solertiâ, quæ non
oculos sed animum feriunt, ac proinde solitam laudem
comitem habent. Crescente sic ætate, animoque vir-
tutibus indies auctiore facto, accedente morum singu-
lari suavitate, quam formæ pulchritudo commendabat,
honestissimis his illecebris captus est, Vir supra memoratus
perquam Reverendus *DN. D. JOH. NICOLAUS QVISTOR-
PIUS*, ut eam vitæ sociam atque consortem expeteret.
Concesserat tum jam fatis, amantissimus beatæ nostræ Pa-
rens, Anno 1670, huic mortalitati ereptus, qui quantum
ex hoc felici connubio gaudium percepturus fuisset, si su-
perfuisset, conjici facile potest. Annuit itaque petito Viri
Mater, divinæ providentiæ nutum ac dispositionem, unâ
cum dilectissimâ Filiâ agnoscens, unde matrimoniale fœ-
dus pangitur Anno 1677. die 14. Februar. Neque divinâ
benedictione destitutum auspiciousimum conjugium hoc-
ce fuit, decem enim liberorum Mater facta est, septem e-
nixa Filios, *JOHANNEM DANIELEM, JOHANNEM NI-
COLAUM, DANIELEM, GEORGIUM DANIELEM, LAU-
RENTIUM GOTHOFREDUM*, ultimoque partu, gemellos masculos, imma-
tuum quidem fœtum, vivum tamen, indeque baptismi sacramento initia-
tum, eoque suscepto statim denatum. Filias verò tres peperit, *SOPHIAM
CATHARINAM, CATHARINAM SOPHIAM, & BARBARAM MARGA-
RETHAM*. Ex quibus omnibus supersunt duo Filii, *JOHANNES NICO-
LAUS, & LAURENTIUS GOTHOFREDUS*, duæque Filiae, *CATHARINA
SOPHIA, & BARBARA MARGARETHA*, reliquis cœlo jam redditis. Qua-
lem sese præterea B. n. præstiterit, de eo in laudem ejus promeritam, oppidò
multa, suffragante honorum omnium, maxime eorum, quibus familiarius
innotuit

innotuit testimonio afferri possent. Sed paucis dicam quod resest. Pietatem
 absq; simulatione & fuce, non externo tantum opere, sed & interiori animi
 adfectu & fiducia studiosè exercuit, publicis cœtibus & conventibus, exci-
 piendo avidè verbi divini præconio, frequentissimè interfuit, sacrâ etiam
 Synaxi, ad fidei suæ confirmationem, salutari poenitentia, devotoq; pe-
 ctore, juncto vitæ emendatiùs sanctiùsq; instituendæ proposito, identidem
 usa est. Quantò amore maritum, nunc viduum mœstissimum amplexa
 sit, quâ sollicitudine infirmatam subinde valetudinem ejus curaverit, quâ
 animi præsentia, verborumq; ponderosâ svavitate, gravibus curis pressum
 sæpenumero erexerit atq; refecerit, quâ industriâ & prudentiâ rem fa-
 miliarem curaverit, domesticisq; negotiis incubuerit, quâ pietate sobo-
 lem in timore Domini, & feminei potissimum sexûs, in convenientibus
 ætati laboribus atq; exercitiis educaverit, non est ut prolixè recenseamus,
 cum res ipsa testatum id abundè fecerit. Neq; aliæ ei defuerunt virtutes,
 vitam Christianam addecetes, siquidem comitate, sinceritate, mo-
 destia, liberalitate, miserosq; juvandi promptitudine eminere præ aliis stu-
 duit. Multorum ergo votis desideratam, in optimo ætatis flore proli-
 dolor! posuit vitam. Morbum fatalem, vel morborum potius colluviem
 enumerabit Vir Experientissimus Excellentissimusq; DN. BERNHARDUS
 Warnstorff/ Med. D. & P. P. famigeratissimus, Collega & Adinis noster
 honoratissimus. Ita verò ille: *Ex quo iterum ultimâ vice gessit bea-
 mē defuncta nostra, omnium ferme ciborum & medicamentorum fastidium,
 nauſeam, vomitum, tormina ventris, anxietates præcordiorum, pal-
 pitationes cordis, lipothymias, dolores iidem lumborum & coxendicum
 sentit: intensissimos adhæc sustinuit cruciatus nephriticos, qui per inter-
 valla quidem, ast admodum brevia, inducias dantes, mox tamen cum ma-
 jori vehementia & atrocitate redeuntes, intra spatium ultimarum octo-
 decim septimanarum, quo ultra ducentos excrevit lapillos, adeò debili-
 tarunt vires, ut accedente totali lotii suppressione, per quinque dies du-
 rante, cum insigni abdominis extensione, exigua admodum convalescentiæ
 spes superesse videretur; præcipue, cum omnem, etiam gravissimam aver-
 saretur medicinam, nec quicquam nisi cum horrore & abominatione as-
 sumeret. Nihilominus tamen Medicamina, minimâ licet in quantitate
 propinata, laudabilem sæpe, in recensitis symptomatibus mitigandis, ex-
 hibuerunt effectum, & pristinam quoque sine dubio resituisſent sanitatem,
 nisi novè, in renibus & ureteribus hærentes calculi, novos semper ad-
 duxissent cruciatus, novaque symptomata. Intensissimi enim hi dolores,
 aliquot dies post sublata urinæ suppressionem, iterum in consensum*

traxerunt, ut se ante ordinarium debitumq; tempus aperiret, incredibi-
 lem lymphæ aquæ copiam protruderet, & sua sponte sine singulari Partu-
 rientis conatu inclusos, und cum secundinis egeret Gemellos, non ultra
 horam in vivorum numero superstites. Et quamvis in partu, viribus
 pene exhausta Ma. er, aliquoties animi deliquium passa fuerit, post partum
 tamen, levamen sensit haud exiguum, ast minime, uti conjiciebamus, diu-
 turnum. Insequentia enim symptomata, suppressio scil. omnimoda sudoris,
 continue diarrhæa, angustie circa præcordia, vigilia nimia, cephalalgia,
 dolores varii, mox in ventre & circa uterum, mox in regione lumbæ &
 circa iia, palpitationes cordis, tremores & horrores totius corporis, sa-
 por fastidioso-dulcis &c. omnia in pejus mutabant, & quævis Artis præsidia
 respuebant, in superq; nil nisi mortem minabantur, quæ etiam, interceden-
 te inopinato catarrho, in naso tumorem cum inflammatione, in faucibus
 ariditatem cum glandularum insigni intumescencia, in pectore vero, pulmo-
 nibus difficilem admodum & anhelosam respirationem, imo plenariam tan-
 dem suffocationem producente, insecuta fuit. Die enim decimo quarto
 post infelicem partum, Puerpera nostra, Animam suam, exemplo ve-
 re Christiano, inter continuas preces & suspiria, Creatori suo reddidit.
 Ita omnino est, inter devotissimas preces & ad extremum usque vitæ
 halitum continuata suspiria, postquam pridie mortis suæ, à me Confessi-
 onario suo, sacratissimo viatico Dominici corporis sanguinisq; instructa
 esset, animæq; sic desiderium explevisset, placidissimâ expiratione, inter
 benedictis manus, mortalitati huic valedixit, die sc. 29. Dec. horâ 12. me-
 rid. anni proximè elapsi. Novum nunc annum, semper novum, ateri-
 naturæ in cœlis vitæ spiritus agit, immarcessibilisq; coronæ strenam ade-
 ptus est, corpore interim adusq; reduntionem animæ in pacè quiescen-
 te. Ne igitur, Honoratissime Dn. Collega, nimia lætûs acerbitate, facin-
 videre beatissimæ Conjugi Tuæ hanc felicitatem videaris. Non accuso
 lachrymas tuas, quid enim amiseris rectissimè novi; sint tamen mode-
 rata, nec à pietate & patientiâ Christianâ alienæ. Applicata tibi nunc ipsi,
 quod aliis feliciter soles solatium; præsentissimum verò suppeditabit,
 summus Consolator Sanctus Spiritus. Quod reliquum est, corpus exanimè
 ritu Christiano hodie tumulandum, frequenti comitatu deducere Ci-
 ves Academici, hocq; officii genere, de piè defunctâ, & mœstissimo si-
 mul Viduo benè mereri ut velitis, etiam atq; etiam rogo.

P.P. Sub Sigillo Rectoratus d. X. Jan. Anno

M DC XCIII.

Conventus fiet in Templo Nicolaitano Horâ I.

Innotuit testimonio afferri possent. Sed paucis dicam quae
absq; simulatione & fuce, non externo tantum opere, se
adfectu & fiducia studiosè exercuit, publicis cœtibus &
piendo avidè verbi divini præconio, frequentissimè in
Synaxi, ad fidei suæ confirmationem, salutarî pœnitenti-
æ amore, juncto vitæ emendatiùs sanctiùsq; instituendæ præ-
usa est. Quanto amore maritum, nunc viduum mœ-
sit, quâ sollicitudine infirmatam subinde valetudinem
animi præsentia, verborumq; ponderosâ suavitate, grav-
sæpenumero erexerit atq; refecerit, quâ industriâ &
miliarem curaverit, domesticisq; negotiis incubuerit.
lem in timore Domini, & feminei potissimum sexûs,
ætati laboribus atq; exercitiis educaverit, non est ut pro-
cum res ipsa testatum id abunde fecerit. Neq; aliæ ei
tes, vitam Christianam addecentes, siquidem comitat-
destitiâ, liberalitate, misericorsq; juvandi promptitudine em-
duit. Multorum ergo votis desideratam, in optimo
dolor! posuit vitam. Morbum fatalem, vel morborum
enumerabit Vir Experientissimus Excellentissimusq; DD
Barnstorff/ Med. D. & P.P. famigeratissimus, Collega
honoratissimus. Ita verò ille: *Ex quo iterum ultimâ
mè defuncta nostra, omnium ferme ciborum & medicame-
nauseam, vomitum, tormina ventris, anxietates præ-
cipitationes cordis, lipothymias, dolores iidem lumbor-
sensit: inensissimos ad hæc sustinuit cruciatus nephritico
valla quidem, ast admodum brevia, inducias dantes, ma-
jori vehementiâ & atrocitate redeuntes, intra spatium
decim septimanarum, quo ultra ducentos excrevit lap-
tarunt vires, ut accedente totali lotii suppressione, pe-
rante, cum insigni abdominis extensione, exigua admodum
sues superesse videretur; præcipue, cum omnem, etiam
saretur medicinam, nec quicquam nisi cum horrore &
sumeret. Nihilominus tamen Medicamina, minimâ
propinata, laudabilem sæpe, in recensitis symptomatibus
bibuerunt effectum, & pristinam quoque sine dubio resti-
nisi novè, in renibus & ureteribus hærentes calculi,
duxissent cruciatus, novaque symptomata. Inensissimè
aliquot dies post sublatam urina suppressionem, Ure-*



tem
imi
xci
iam
pe-
tem
lexa
quâ
lum
fa-
bo-
bus
us,
tu-
no-
flu-
roli
tem
US
ter
issi-
um,
al-
um
cr-
na-
fo-
ili-
du-
rie
er-
af-
ate
ex-
m,
ad-
es-
um
isa